

R. 1°. Probas etiam possessionem æque transmitti ad extraneum, quia et huic prodest defuncti possessio.

R. 2°. *N. min.* Quia hoc, ut prosit defuncti possessio hæredi ad complendam præscriptionem, singulari est jure statutum, *L. 44. §. 3. ff. de Usucap.* Igitur facta per hæredem rei apprehensione a defuncto possessæ, continuatur juris fictione possessio sicut dominium.

Dices 4°. *L. cum miles. 30. ff. ex quibus caus. ma. in integr.* dicitur hæredem in usucapionem succedere; quia possessio defuncti quasi juncta descendit ad hæredem, et per unquam nondum hæreditate adita completur.

R. 1°. Rursus probas nimium etiam pro hærede extraneo.

R. 2°. Dum dicitur, ad hæredem quasi juncta descendere, innuitur id fieri fictione juris, at non nisi interveniente apprehensione, qua non præcedente neque juncta descendet possessio in ordine ad præscribendum.

Dices 5°. Pater et filius una eademque persona esse censentur; ergo si pater possedit, censetur et filius possedis; secus ac se res habet in extraneo.

R. *D. Ant.* Censetur eadem persona, quousque jura fingunt esse unam personam *C. Secus N. Sic e. g.* fingunt esse personam unam ratione acquisitionis, in quantum filius in patria potestate constitutus patri acquirit. At non in quibusvis filius una cum patre persona fingitur; neque hic quoad possessionem.

## ARTICULUS II.

QUÆ SINT POSSESSIONIS COMMODA? QUOMODO AMITTATUR? QUÆ REMEDIA  
POSSESSORIA?

187. *Dico I.* Commoda sive privilegia possessori a jure concessa ampla et multa sunt: velut 1°. Quod in pari causa, vel in dubio melior sit conditio possidentis, *L. 128. ff. et c. 65. in 6. de R. I.* quod cæterorum veluti radix et fons est.

2°. Possessor in judicio petitorio habetur pro domino, ac præsumitur, ideoque probationis sublevatur onere, quod soli incumbit illi, qui possessori litem intentat, ac nisi is dominium manifeste probet, aut injustam possessionem alterius, causa cadit, *§. Commodum. Inst. de Interdict. c. sæpe de Restit. Spoliat. L. fin. C. de R. V.*

3°. Possessor in judicio petitorio conventus, per se loquendo, non tenetur edere suæ possessionis titulum, *L. 11. de petit. Hæredit. Dixi: per se loquendo;* nisi scilicet possidenti alias resistat jus, uti resistit laico quoad juris spiritalis possessionem; vel nisi adversarius habeat fundatam pro se in jure intentionem, ut habet Parochus ad decimas; vel nisi contra possessorem stet gravis præsumptio.

4°. Res bona fide possessas, nisi exceptæ sint, præscribit possessione legitimi temporis, hoc est earum acquirit dominium; de quo plura suo loco, ubi de præscriptione agemus.

5°. Possessio immemorialis supplet præsumptos defectus vitiositatis, saltem quamdiu non aperte deteguntur; sed inducit præsumptionem tituli; imo est probatio tituli, ut aiunt, probata; nec patitur inquisitionem de titulo, ut proinde possessorem muniat privilegio singulari, ut colligunt Juriscon-

sulti, præsertim Romani, ex *c. super quibusdam §. præterea de V. S.* item ex *L. hoc Jure §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid.*

6°. Possessor potest possessionem suam tueri, et vim vi repellere; sique possessione dejectus esset, potest etiam vi repetere, si modo id fiat in continenti et sine intervallo. Quod si autem fur rem tuam clam rapuerit; teque insequente et persequente fugerit, sed rem extra tuam custodiam posuerit, eam tunc vi equidem repetere non potes, ne perturbetur tranquillitas publica; et quia tunc possessionem amisisti, supersunt tibi tamen remedia juris, scilicet *possessoria*. Idem est si prædonem respoliare in continenti neglexeris. Unde

7°. Si quis possessione rei, quam naturaliter et civiliter possidet, sive juste, sive injuste vi dejiciatur, dejiciens sive spoliator non solum pellitur per remedia juris a possessione, sed etiam compellitur a judice restituere rem possessori cum fructibus, compensare damna.

8°. Possessio tribuit possessori jus administrandi rem possessam, pendente etiam lite; atque obligat judicem ad tuendum possessorem in possessione, quousque res ipsa non evincatur, juxta *L. 128. ff. de R. I. et c. 65. in 6. h. t.* Ac demum possessori dat actionem realem, quæ *publiciana* dicitur, qua rem a se possessam sibi ablatam vindicat, quasi jam a se usucaptam, contra possessorem quemlibet. Estque hoc singulare beneficium possessori concessum a prætore. Ex his tantis possessionis commodis natum illud Jurisconsultorum axioma: *Beati possidentes.*

188. *Dico II.* Possessio rerum corporalium *immobilium* amittitur generaliter voluntate possessoris rem amplius possidere nolentis, *L. 3. §. 6. ff. de acquir. vel amitt. Possess.* sive voluntate expressa, sive tacita. Proinde amittitur 1°. Si longo tempore est absens a re sua, eique nec per se, nec per alium insistit, nec protestatur, se nolle rem amittere. 2°. Si redux rem suam quidem statim repetat, occupatam ab altero, sed ab hoc repulsus, non audeat deinceps vel rem occupare, vel possessionem repetere. 3°. Si nescit rem esse suam, eamque proin inter res suas non numeret, potest perdi possessio, quia deficit possidendi animus; idem est si sciat rem esse suam, sed negligat, permittat possideri ab altero; vel si libere possessionem ultro cedat alteri pacto, vel contractu; quia in his partim adest voluntas expressa, partim tacita et præsumpta, quod rem possidere amplius nolit. Idem vero est de incorporalibus, ut sunt jura, etc.

Pariter rerum corporalium *mobiliium* possessio amittitur 1°. Per voluntatem non amplius possidendi, etiam solam, *L. 3. cit.* 2°. Si ita quis rem suam amittat, ut non amplius in custodia retineat, vel, ubi sit nesciat. 3°. Per furtum et rapinam factam ab eo, qui sub tua potestate non est. 4°. Per fugam, scilicet animalium, quæ non habent redeundi consuetudinem, ut aves, lepores aliæque sylvestres feræ; secus est, si redire soleant, ut canes, columbæ, aliæque animalia domestica. Non tamen amittitur possessio servi per fugam. *L. Pomponius 13. ff. de acquir. vel amitt. Possess.*

*Si dicas: L. 8. ff. de acquir. vel amitt. Possess.* ita edicatur: *Quemadmodum nulla possessio acquiri, nisi animo et corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est;* ergo rerum corporalium possessio non amittitur voluntate sola, aut animo.



R. Oppono *L. 6. §. 6. tit. eod.* qua dicitur clare amitti *animo solo*; igitur quamdiu non deponitur animus possidendi, possessio retinetur; si quis vero prius non dimittat animo, quam corpore, jam amittit possessionem, antequam recedat corpore. Quod amplius enunciat *L. 17. ff. eod.*: *Differentia inter dominium et possessionem hæc est, quod dominium nihilominus ejus maneat, qui dominus esse non vult, possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere.* Unde, ut *L. 8. cit.* cum his concordet, eam oportet intelligi pro casu, quo quis rem prius incipit deserere corpore, et hoc solum nondum sufficit, sed tunc præterea requiritur, ut etiam deserat animo.

189. *Dico III.* Remedia possessoria sunt *interdicta*, quæ jure novo sunt actiones extraordinariæ, quibus in causa possessionis præsertim inter partes litigantes disceptatur. Pro quo sciendum, quod, cum plurimæ lites proponi soleant in judiciis circa possessionis materiam, et periculum sit, ne ob protractionem litis homines ad vim et arma descendant ob possessionis comoda, certa in jure statuta sint remedia, ut succurratur tam actori, quam reo. Hæc remedia dicuntur *possessoria*, quia titulo possessionis competunt; et *interdicta*, quia sunt sententiæ sub quadam verborum forma inter litigantes de possessione dictæ, et jam Corpori juris insertæ, ut aliæ leges, non perpetuæ, sed ad tempus, nimirum quasi *interim dictæ*, donec pleniore judicio causa proprietatis terminetur. *Actiones* dicuntur *L. ult. C. h. t.* ac quidem *extraordinariæ*, quia facilius expediuntur causa servandæ tranquillitatis.

Dividuntur *interdicta* 1º. in exhibitoria, prohibitoria, restitutoria. *Exhibitoria* sunt tria: 1. De libero homine exhibendo. 2. De libertis exhibendis. 3. De liberis exhibendis et deducendis. *Prohibitoria* sunt quatuor: 1. Ne vis fiat illi, qui in possessionem honorum debitoris missus a iudice. 2. De mortuo inferendo. 3. Ne quid in loco sacro ædificetur. 4. Ne quid in flumine publico, ripave immittatur. De quibus in *ff. L. 43. De restitutoriis* constabit ex dicendis.

Dividuntur 2º. et celebrius ac utilius in *interdicta* possessionis adipiscendæ, retinendæ et recuperandæ.

*Interdictum adipiscendæ*, est remedium concessum a jure ad possessionem, quam quis nunquam habuit, acquirendam. Continet sub se tria alia: Primum est, *Quorum bonorum*, quod hæredi competit, ut possessionem acquirat hæreditatis contra illos, qui temere occuparunt hæreditatem defuncti. Alterum, *Quorum legatorum*, vel *Quod legatorum*, competens hæredi contra legatarium, qui rem sibi legatam occupavit auctoritate propria contra leges statuentes, neminem debere sibi ipsi jus dicere, et legatum ab hærede petendum esse. Tertium, *Salvianum*, domino fundi competens contra colonum conductorem ad acquirendam possessionem earum rerum, quæ in fundum locatum colonus induxerat, et eo ipso tacite obligata erant domino pro pensione debita.

*Retinendæ* possessionis, seu conservandæ *interdictum* est duplex: Primum, *Uti possidetis*, quod datur ad retinendam possessionem immobilium sine vitio possessorum, id est, *nec vi, nec clam, nec precario*, contra quemlibet, qui possidentem audet turbare, vel inquietare, *L. si duo, ff. Uti*

*possidetis*. Secundum dicitur *Utrobi*, quod pro retinenda possessione mobilium datur; quoad cætera naturam prioris sequitur.

*Recuperandæ* possessionis, qua quis vi dejectus, rursus duo sunt *interdicta*: Primum, *Unde vi*, servit pro recuperanda possessione immobilium, qua quis vi expulsus fuit, *ff. de vi et vi arm.* Agenti tamen ex hoc *interdicto* duplex incumbit probatio, quod possederit, et quod vi dejectus sit. Alterum, *Vi bonorum raptorum*, serviens pro recuperanda possessione bonorum mobilium; de cætero priori simile est. Quibus accedunt duo alia de *jure canonico* primum, ex *Can. Redintegranda 3. Caus. 3. Q. 4.* scilicet pro *redintegranda* possessione rerum immobilium et mobilium omnium, ad quemvis eorum possessio, etiam sine vitio pervenerit, datur et clericis et laicis. Secundum, ex *Can. Sæpe 18. de Restitutione Spoliatorum*, contra scienter recipientem rem invasam a spoliatore. De *interdicto Unde vi* inter Recentiores celebris disceptatio est, utrum etiam competat prædoni et invasori rei alienæ, non tantum contra extraneum, sed ipsum etiam dominum rei, sive vel ab hoc, sive ab illo respoliatus fuisset? Unde affirmant, negant multi contra multos. Igitur

190. *Dico IV.* *Interdictum Unde vi* etiam prædoni et invasori rei alienæ competit 1º. contra extraneum quemvis: 2º. spectato rigore juris etiam contra rei dominum notorium, et non in continenti respoliantem.

*Pars I.* est *Jurisconsultorum omnium*, fundata in jure claro tam canonico, quam civili: priore *c. 5. h. t. de Restit. Spol.* ubi, etiam prædo ante omnia est restituendus; sed hoc saltem contra extraneum certo tenet. Altero *L. 4. §. 30. de vi et vi arm.* ubi, qui a me vi possidebat, si ab alio vi dejectus fuerit, habet hoc *interdictum*. Sola *pars II.* controvertitur. Ante cujus probationem

*Observe*: Addi in conclusione, et non in continenti respoliantem; quia si in continenti, hoc est, sine intervallo, statim, antequam divertat ad alia, respoliet; vel, etiamsi interfluant aliquot dies, modo dominus statim se parare cepit ad possessionem vi recuperandam, nihil contra jus aget; quia spoliium in continenti eripere ad defensionem rerum suarum pertinet, nec tantum jure naturali, sed etiam positivo humano permissum est, *L. 1. 3. ff. de vi et vi arm. c. 18. de homicid. volunt.* Igitur

191. *Prob. pars II. 1º.* Ex *c. 5. de Rest. Spoliat. cit.* ubi ALEXANDER III. consultus, an restituendus sit beneficio spoliatus, qui dicitur non fuisse institutus canonice? respondet, prius de violenta ejectione, quam canonica institutione agi debere; ac rationem addit: quia etiam prædo est secundum rigorem juris restituendus. Respondent adversarii, hic de prædone non notorio sermonem esse; at hæc responsio videtur aperte insufficientis; quomodo enim in non notorio prædone esset rigor juris? Item quomodo tene-ret argumentum Pontificis a majore ad minus?

*Prob. 2º.* Ex jure civili, quod sine discrimine jubet ipsum prædonem ante omnia restitui. *L. 7. C. Unde vi*, simpliciter statuit, quod si rei dominus aliquem spoliaverit vi, restituere debeat. Respondent rursus adversarii hic de prædone notorio spoliato sermonem non esse; verum 1º. Lex hunc non excipit. 2º. Esto: satis est, quod velit restitui spoliatum etiam contra domi-



num, etiam quando constat esse dominum; quia vult hunc amittere dominium; ut enim dominus privari dominio possit, haud dubie constare debet.

*Conf. 1º. Ex L. 4. §. si dominus ff. de Usurpat., ubi: si dominus fundi possessorem vi dejecerit, Cassius ait, non videri in ejus potestatem rediisse, quoniam interdicto Unde vi restitutus sit possessionem.*

*Conf. 2º. Ex §. Inst. de interdict. ibi: Nam ei proponitur interdictum Unde vi, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem, licet is ab eo, qui vi deiecit, vi, vel clam, vel precario possideat.* En spoliatori contra spoliatorem reciprocum datur hoc interdictum, sive sit dominus, sive non; subditur enim: *siquidem in bonis ejus, spoliatoris, est, dominio ejus privatur.* Ac ratio est, quod intersit pacis publicæ, homines sibi ipsos jus non dicere; cum, eo permissio, ad violentias, arma, et cædes facile deveniant, ut proinde justæ plane et æquæ leges sint, dum prædonem volunt restitui contra dominum quemcumque, qui sibi imputet, quod, neglectis juris remediis, ipse sibi jus dixerit. Hic tamen

*Observa:* Singulare esse privilegium, quo gaudet clericus, quod quidem olim erat latissimum, vi cujus clericus a quocumque spoliatus, si conveniretur ab alio actione sive civili, sive criminali, non tenebatur respondere ante in judicio, quam esset restitutus, *Can. oportet. Caus. 3. Q. 4.* At quia abutebantur hoc privilegio, cum convenirentur, falso asserentes se spoliatos fuisse, INNOCENTIUS IV. c. 1. *de Restit. Spoliat. in 6.* restrinxit hoc privilegium eo, ut clericis non liceret eo privilegio uti contra quemlibet, sed solum contra spoliatorem. Quod GREGORIUS IX. eo extendit c. *fn. de ord. cognit.* ut, si clericus ab alio prius spoliatus, deinde eundem in re alia spoliaret, si a spoliato conveniatur interdicto *Unde vi*, possit hunc exceptione sui privilegii repellere, nec teneatur respondere prius, quam fuerit ipse restitutus.

192. *Dices 1º. Juxta c. cum dilectus 6. de Caus. Poss. et Propr.* causa proprietatis in executione prævalere debet; ergo dum constat de dominio non est habenda cura possessionis.

*R. D. Ant. Cons.* Quando constat judicialiter *C.* Si tantum extrajudicialiter *N.* Nihil autem minus adversariorum causam, quam hoc *c. cit.* promovet; ait enim Pontifex: *Breviter respondemus, quod, cum super possessorio et petitorio simul est actum; utrumque una sententia debeat terminari (ubi vides, eum loqui de casu, quo judicia duo possessionis et proprietatis simul cumulantur, ut de proprietate judicialiter constet), sed licet in pronuntiatione sit possessio præmittenda; in executione tamen debet proprietatis prævalere.* Ergo non negatur spoliato interdictum *Unde vi*, cum super possessione debeat præmitti sententia. Adde in *cap. cit.* non exprimi, utrum dominus ex intervallo spoliaret prædonem.

193. *Dices 2º. L. 1. ff. de vi et vi arm.* dicitur: qui a me possidebat, si ab alio deiciatur, habet hoc interdictum; ergo a contrario, qui non ab alio deicitur, sed a me, qui ab illo etiam dejectus eram, non habet hoc interdictum.

*R. 1º.* Probas manifeste nimium, nimirum, quod illi neque competat hoc interdictum, si ego illum deiciens non essem dominus; vel, etsi essem

dominus, de meo dominio non constaret, quod est contra omnes: sequela autem patet; quia tunc etiam non deiceretur ab alio.

*R. 2º. N. Cons.* Genuinus legis sensus est, quod spoliatus ab alio semper eo interdicto uti possit, non autem semper quando reciproce spoliatus fuit ab eo, quem ipse prius spoliaverat, quia prius cognosci debet, an is reciproce spoliavit in continenti, an ex intervallo?

194. *Dices 3º. Juxta L. bona fides. ff. Depositi. : Non est ex bona fide rem suam dominum prædoni restituere compelli;* ergo.

*R. D. Ant.* In casu, quo dominus rem suam absque omni vitio et vi consequitur *C.* Quando per vim, et modo a jure prohibito *N.* Lex loquitur de casu, quo rem meam fur me ignorante surripuit, et postea apud me, etiam tunc delictum ignorantem, deposuit; ac tunc, ait lex, non contrahitur depositum, quia non est ex bona fide, rem suam dominum, si hic postea constiterit, prædoni restituere compelli. Unde lex ea controversiam nostram non attingit.

*Si urges:* Etiam in hac controversia non esset ex bona fide. *Prob.* quia prædo posset exceptione doli submoveri; dolo enim petit restitui, qui statim iterum debet restituere domino.

*R. N. A. et prob.* Saltem hæc exceptio cum effectu opponi non posset, quia ordo juris exigit, spoliatum debere ante omnia restitui; alias enim etiam, qui possessionem clam occupavit, et vi dejectus est, non gauderet hoc interdicto, quod est contra sententiam communem; nam etiam huic objici posset possessionis acquisitæ vitium. Et certe negabit nullus, dominum punibilem esse, ob vim prædoni ex intervallo illatam, quod ita neglectis juris remediis, contra prohibitionem legum, jus dixerit sibimet.

195. *Dices 4º. C. ad Decimas. 2. de Restit. Spoliat. in 6.* Agentibus spoliatis canonicis contra spoliatorem decimarum negatur restitutio, nisi evidenter probaverint possessionem legitime acquisitam propter præsumptionem de injusta eorum occupatione; ergo.

*R. D. Ant.* Canonicis spoliatis negatur simpliciter et absolute restitutio *N.* Dum evidenter probent possessionem decimarum in aliena parochia legitime acquisitam, eo quod præsumptio contra illos militet in oppositum *C.* Canonici occupaverant decimas in aliena parochia, sed reciproce spoliati erant a parcho. Quæsitum est, an debeant restitui contra parochum? respondit Pontifex negative, nisi evidenter probaverint, quod earum possessionem legitime acquisiverint; nam, cum decimæ essent in aliena parochia, et de jure canonico communi decimæ ad Ecclesiam, intra quam sunt, pertinere debeant, erat contra canonicos præsumptio juris, quod essent possessores injusti; possessio e contra parochi in jure fundata. Tali vero casu debebant canonici probare possessionem legitimam, ut jam inter possessionis comoda hunc casum exceperimus, num. 187.

Adde, ex *c. cit.* non constare, quod illas decimas aliquando quiete possederint; multo minus quod occupaverint vi, ac forte cum vi occupare velent, a parcho sunt vi repulsi, et sic a spoliato in continenti spoliati, quod jura permittunt.



196. *Dices* 5°. Juxta *c. Constitutus de fil. Presbyt.* spoliatus beneficio restituendus est, si constet patrem ad tempus illud administrasse; non autem huic in perpetuum concessum fuisse; ergo a contrario restituendum non vult, si fuisset patri in perpetuum concessum.

R. *C.* totum; quia hoc fieret contra canones, quibus expresse prohibetur, filium beneficium habere in Ecclesia, in qua pater habuit. Talis igitur filii possessioni cum resistat positive jus, ille restitui nec debet, nec potest, quia ad tale beneficium possidendum est jure inhabilis; unde *c. quoniam. de fil. Presbyt.* talem removeri vult.

197. *Dices* 6°. Potior est habenda ratio innocentis, quam prædonis; ergo iniquum videtur, si contra dominum deberet prædo restitui.

R. *N. suppositum*, dominum, qui vim ex intervallo etiam prædoni intulit, in sensu juris innocentem esse, quandoquidem neglectis remediis juris sibi ipsi jus dixerit, ac punibilem se fecerit etiam pœna privationis domini, cum jura graviter prohibeant, in publicis fundata causis, ne homines sibi jus dicant, ad vim et arma prosiliant, unde civilis pacis perturbatio variaque gravia incommoda nasci pronum est.

## ARTICULUS III.

QUOS FRUCTUS TENEATUR RESTITUERE POSSESSOR BONÆ FIDEI, RE ALIENA IN JUDICIO EVICTA?

198. *Nota.* Fructuum nomine id omne intelligitur, quod ex re ipsa, vel occasione rei percipitur; suntque in multiplici classe; aliter tamen a Theologis, aliter a Juristis dividuntur. Dividunt eos Theologi 1°. in naturales, industriales, et mixtos. *Naturales*, sive spontanei sunt, qui ex ipsa re, sine notabili saltem industria hominum, provenire solent, ut gramen, poma, ligna cædua, lac pecudum, partus animalium, lana ovium et similia. *Industriales*, qui vel unice, vel potissimum accedente industria hominis proveniunt, ut sunt artefacta, lucrum negotiatione acquisitum, dexteritate vendendi, etc. in quibus plus hominis industria quam ipsæ res, etsi per modum instrumenti concurrant, operatur. *Mixti*, qui a natura et industria humana ferme æqualiter concurrentibus gignuntur, ut segetes, vinum, caseus, butyrum, lana depexa, etc. A Juristis vero in *naturales*, *industriales* et *civiles* dividuntur. Per naturales eosdem cum Theologis intelligunt: per industriales, quos Theologi mixtos vocant: per civiles, qui a Theologis industriales appellantur; civiles vero sic ideo nuncupant, quod mediante aliquo jure, vel obligatione civili provenire plerumque soleant. Nos hac in materia Theologorum maxime divisionem retinebimus.

Dividuntur 2°. communi Theologorum et Juristarum sensu in pendentes, perceptos, percipiendos. *Pendentes*, qui rei fructiferæ adhuc inhaerent, ut fœtus animalium nondum in lucem editi, poma ex arbore adhuc pendentia, segetes nondum demessæ. *Percipiendi*, quos possessor vel negligentia vel dolo non percepit, potuisset tamen, si voluisset, facile percipere. *Percepti*, qui jam a re frugifera separati, et a possessore collecti.

Percepti rursus dividuntur in consumptos et extantes. *Consumpti*, qui nec in natura, nec in æquivalenti, sive pretio supersunt; *extantes*, qui adhuc supersunt: si supersint in natura, dicuntur *extantes formaliter*; si in æquivalenti, ut pretio, quod ex venditis possessor accepit, aut si fructus ex re aliena perceptos absumendo, pepererit interim proprius ex re sua perceptis, dicuntur *extantes virtualiter*. Pro intelligendo statu controversiæ hoc ævo celebris

*Nota II.* Quæstio nulla est de fructibus industrialibus; cum enim rei fructus non sint, sed industriæ possessoris, certum est, eos restitui non debere: nec de pendentibus; hi enim cum vel pars fundi, vel rei, cui inhaerent, censeantur, æque certum est, hos e contra debere restitui: nec de percipiendis juxta Jurisconsultorum communem; quia, cum possessor bonæ fidei loco domini sit, cui liberum est, quantum velit e re fructuum percipere, satis constat, eum ad hos restituendos nullo foro obligari: nec denique de simpliciter consumptis ante contestatam litem, utpote quos pariter loco domini absumpsit; sed de naturalibus et mixtis, ante litem contestationem perceptis, adhuc extantibus et nondum præscriptis. Dixi 1°. *Ante litem contestationem* perceptis; nam post contestationem litem possessor constituitur in fide juridice mala, ac proinde, re aliena evicta, omnes fructus a tempore contestatæ litem perceptos obligabitur restituere. 2°. *Nondum præscriptis*; si enim jam præscripserit, eorum acquisivit dominium, nulloque modo tenebitur restituere. Quæritur vero 1°. de extantibus formaliter; 2°. et maxime de extantibus virtualiter.

199. *Dico I.* Possessor bonæ fidei tenetur cum re aliena in judicio evicta restituere omnes fructus naturales et mixtos jam perceptos, et adhuc formaliter extantes. Ita multi contra multos.

*Prob. I. Ex L. 22. Certum. C. de R. V. ubi: Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare; bonæ fidei vero extantes; post litem autem contestationem universos.* Quæ lex clarissima est.

*Prob. II. L. bonæ fidei. 48. ff. de A. R. D. ita statuitur: Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena suos interim facit; non tantum eos, qui diligentia et operâ ejus provenerunt; sed omnes, quia, quod ad fructus attinet, loco domini pene est. In qua lege notentur hi termini restringentes: suos interim facit: loco domini pene est; quia clare supponunt, dominium horum fructuum formaliter extantium, quod tribuitur possessori bonæ fidei, esse revocabile, et, re evicta, transire cum re ad dominum.*

200. *Obj. I. L. 28. ff. de Usurp. et Usucap. 1°. Possessor bonæ fidei æquiparatur usufructuario: sed hic acquirit fructus dominio irrevocabili; ergo. 2°. Dicitur acquirere fructus naturales pleno jure; ergo irrevocabiliter.*

R. *Ad 1<sup>am</sup>. D. Equiparatur usufructuario quoad perceptionem fructuum C. Quoad retentionem N. Nam suos tantum interim facit; respectu eorum loco domini pene est.*

R. *Ad 2<sup>am</sup>. N. Cons.* Non enim in jure idem sonant: pleno jure, et dominio irrevocabili; patet ex *L. 29. ff. quia et a quib. manumiss.* ubi servus sub